



# Disputatio juridica inauguralis de emphyteusi

<https://hdl.handle.net/1874/340893>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
EMPHYTEUSI,  
QUAM  
Favente Deo Opt. Max.

*Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris.*

D. ANTONII ÆMILII, Historiarum  
& Politices Professoris: ex amplissimi Senatus Academici  
consensu, & Facultatis Iuridicæ decreto.  
*Pro gradu Doctoratus in V. Iure consequendo,*

*Publicè ventilandam proponit.*

EVERARDUS de WEEDE  
*Ad diem II. Februarij horis locoque solitis.*



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,  
Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,  
*M. DC. XLV.*



NOBILISSIMIS, ac AMPLISSIMIS  
DOMINI S

D. DECANO, & CAPITVLO  
Metropolitano Trajectensi.

*Hanc disputationem inauguralement*

Gratitudinis, & affectionis testandæ  
ergò

*Inscribit*

E. de VV E E D E.

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AUGURALIS

DE

EMPHYTEUSI,

T H E S I S I.

**D**E utili hac , cognituque necessaria Emphyteuseos materia acturi , ut saltem aliqua methodo progediamur , à nominis notatione exordiri lubet , dicitur autem ἐμφύτευση , quod est inserere , quia potissimum arborum inferendarum causa ita colendi dabantur. l. 7. C. fund. patrim. Pac. ad tit. Dig. si ager vestig. & nihil ab agro vectigali differt arg. Rubr. Dig. si ager vect. junct. §. 3. Inst. de locat. l. scien- dum Dig. qui satisfdar. cogan. Donell. comm. lib. x. cap. xiii.

II.

Emphyteusis est contractus juris gentium. §. 3. Inst. locat. & l. 5. Dig. Inst. & jur. Bronch. cent. l. ass. 79. Diff. Treutl. vol. i. disp. 29. th. 9. litt. h. Wesemb. in parat. ad. h. tit. n. 3. nominatus. l. 7. §. 1. Dig. de pact. bonæ fidei. arg. §. 28. Inst. de cession. consensu constans, quo res im-

A 2 mobiles

mobiles pro pensione annua in dominij recognitionem  
præstanda l. 2. & 3. C. de jur. Emphyt. sub melioratio-  
nis lege colendæ, fruendæque alicui conceduntur.

### III.

Et ut plurimum in ecclesiasticam & secularem seu  
civilem dividitur, hæc cum Princeps, civitas, munici-  
pium, vel privatus aliquis rem suam in Emphyteusis  
concedit. l. 1. Dig. si ager. vœctig. illa quæ à Praelato  
vel œconomo de rebus ecclesiasticis constituitur Nov.  
7. & 120.

### IV.

An autem ad hujus contractus perfectionem, & sub-  
stantiam scriptura præcise requiratur, controvertitur,  
verum affirmantium opinio probabilior nobis vide-  
tur, l. 1. C. de jur. Emphyt. Mascar. de probat. conclus.  
605. n. 4. Bronch. cent. 1. ass. 78. Sed tamen amissa scrip-  
tura per testes probari posse, suadet. l. 4. D. & l. 1. 5.  
& 11. C. de fide instrum. Mascar. conclus. 603. n. 14. fin  
autem sine scriptura contractus celebratus fuerit, non  
valet arg. l. 5. Cod de ll. quoniam zeno scripturam deside-  
rat l. 1. C. de jur. Emphyt. junct. Nov. 78. c. 3. Clar. 5. Em-  
phyt. quæst. 4. Christ. vol. 3. decis. 119. n. 5.

### V.

Res autem sive materia in qua Emphyteusis consti-  
tuitur

tuitur est ager seu fundus, in prædio enim urbano constitui non posse, evincit, tot. b. t. & l. 31. D. de pignor. et hypoth. præterea ratio Emphyteuseos thes. I. tradita in ædes non cadit Donell. comm. lib. IX. cap. XIIII. Bacch. ad Treutl. vol. I. disp. 29. th. 9. litt. E. Diff. Treutl. loc. cit.

## V I.

Hic vulgo DD. quærunt, an fundo pro parte dimidia simpliciter in Emphyteusin concessio, arbores dimidiæ partis etiam contineantur, nos contineri non dubitamus, quoniam pars soli sunt l. 44. Dig. de rei vind.

## V II.

Forma & modus quo Emphyteusis constituitur, est testamentum, conventio. l. I. C. de iur. Emphyt. 9. adeo vers. et si quidem. Inst. de locat. et conduct. & 30. vel 40. annorum præscriptio. l. 4. C. de prescript. 30. vel 40. ann. l. 18. Cod. de Agric. & censit. Bronch. cent. I. ass. 81. & vel in perpetuum vel ad tempus conceditur.

## V III.

Quid si simpliciter Titio & Filiis ejus Emphyteusis fuerit relicta? utriusque sexus liberis concessa intelligitur l. 62. Dig. leg. 3. l. 195. et 201. Dig. de V. S. Filius tamen, se ab hæreditate paterna abstinent, Emphytus in retinere non potest.

## X.

Contractū hoc rite celebrato, & perfecto, dominus, qui, se rem in Emphyteusin daturum, promisit, ad vacuam ejus possessionem tradendam obligatus est. *d. §. adeo. Inst. de locat. & conduct. l. 3. Cod. de jur. Emphyt. l. 2. §. 1. l. 36. Dig. de Act. Emp. junct. l. 20. Cod. de pact.*

## X.

Per Constitutionem Emphyteuseos acquirit Emphyteuta, non tantum jus utendi, fruendi, sed etiam fundum Emphyteuticum commodandi, oppignorandi, servitutem imponendi, donandi, permutandi, legandi & quoquo modo ad alium transferendi, immo etiam vendendi, dummodo domino ~~agripunno~~ offerat juxta *l. 3. C. de jur. Emphyt.*

## XI.

Verum illud non satis expeditum est, an quæ prærogativa domino competit in casu donationis, aut legati Nego cum *Bronch. cent. ass. 80. Diss. Fachin. lib. III. cap. xcviii. lib. VI. cap. xcviii. & lib. X. c. LXVIII.* Inductionem tamen sive investituram novi Emphyteutæ, & honorarium vel laudemium hic requiri probat. *d. l. 3. circa fin. Cancer. var. resol. part. I. cap. II. n. 71. & seqq.*

## XII.

Cum autem commoda, & incommoda rei Emphyteuticariae ad Emphytentam pertineant, rectè quaeritur, num thesaurus in prædio vectigali ab Emphyteuta inventus, domino proprietatis, an Emphyteutæ acqui-

acquiratur, sed cum Emphyteuta dominus non efficiatur *l. i. §. i.* *Dig. s. ager. vectig.* recte inter eos dividi censeo arg. *§. thesauros Inst. de Rer. Divis. & l. 7. §. s. fun. dum. Dig. solut. maxim. Sich. ad l. i. h. n. 27. Diff. Schneid. ad §. thesauros. Inst. de rer. divis. n. 6.*

### XIII.

Quod si damnum Emphyteuta passus sit, si particulae fuerit, ad eum pertinet *l. i. in fin. & ibi Sich. n. 26.* *C. de jur. Emphyt.* ex quo sequitur eum à canone præstanto non liberari ob inundationem *Donell. d. l. c. 14.* nec obsterilitatem agrorum, nec ob incursum hostium *Don. d. l. Bronch. cent. i. aff. 84. Diff. Sich. l. cit. n. 28.* & quod posterius *Clar. §. Emphyteutis quest. 8. n. 6.*

### XIV.

Licet autem Emphyteuta longissimo tempore, puta 30. vel 40. annis annuam pensionem non solverit, immunitatem tamen à canonis præstatione consequi, nec plenum dominum sibi acquirere potest, quia quamdiu eo titulo possidet, non suo, sed alieno possidet quo titulo res nullo modo præscribi potest. *l. 2. & l. 7. §. ult. Cod. de prescr. 30. vel 40. ann. Bronch. cent. i. misc. controv. aff. 44. Fach. lib. 8. cap. xcix. Diff. vide ibid.*

### XV.

Emphyteuta non soluto canone intra brennum Ecclesiasticam, intra triennium civilem Emphyteus in amittit, & ab omni jure, quod habuit, nulla judicis sententia expectata, ipso jure cadit. *l. 2. Cod. h. tit. Clar. d. §. quest. 9. Bronch. misc. controv. cent. i. aff. XLIII. Fach. lib. 1.*

lib. i. cap. xciii. Diff. Sich. in l. 6. n. 5. Cod. de sero  
fugit.

XVI.

Sed an dominus propria autoritate eum expellere possit, ardua, & à multis DD. agitata quæstio est, sed ad hoc sententia judicis declaratoria opus esse, juri magis consentaneum putamus. *l. non est singulis 176. D. de R. I. l. 9. C. solut. matrim. l. 3. C. de pignor. & tot. tit. C. ne quis in sua causa judicet. Bronch. cent. 1. ass. 82. Fach. lib. i. cap. 95. Treutl. d. l. thes. xii. litt. B. & ibi Bacchov. Sich. ad d. l. 2. n. 16. Diff. vid. apud eosdem.*

XVII.

Uno ex pluribus jurisEmphyteutici hæredibus cano-  
nem non solvente, totaEmphyteusis in commissum ca-  
dit, ex persona enim hæredum natura obligationis  
non immutatur *l. 2. §. 2. & l. 5. §. 4. & l. 85. D. de V. O. Sich. ad l. 2. n. 5. & 6. Cod. de jur. Emphyt. Treutl. Dict. loc. thes. xiiii. litt. A. & ibi Bacch. Bus. ad. l. 7. n. 3. Dig. comm. divid. Diff. Fach. lib. i. c. xcvi. et varii varie apud eundem.*

XVIII.

Sed tamen, qui partem suam non solvit, ab aliis con-  
veniri posse statuimus, *arg. d. l. §. 4. Dig. de V. O.*

XIX

Hic non imtempestive quæritur, utrumEmphyteuta,  
qui triennio canonem non solvit, facta postea oblatio-  
ne, moram purgare possit, sed quoniam pæna & dies in  
obligatione, tempore obligationis elapsō, moræ purga-  
tionem

tionem non admittant l. *trajectilia* 23. *Dig. de O.* & *A. l.*  
*magnam* 12. *Cod. de contrab.* *stipul.* negandum mihi vide-  
tur cum *Fach.* lib. 1. cap. *xcviii.* & *Bronch.* *miscel.* *controv.*  
*cent.* 1. *ass.* *xlv.* quā sententiam etiam probat sub distin-  
ctione *Sich.* in d. l. 2. n. 21. *Diff. Sarmient.* *select. interpret.*  
*lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. Sed jure Canonico in ecclesiastica Em-  
phyteusi secus est, si celeri satisfactione sibi consuluerit  
*cap. ult. extr. de locat.*

### XX.

Sed quid si dominus post elapsum tempus, intra quod  
canon præstari debet, illum offerente Emphyteuta ac-  
ceperit, videaturne juri expellendi renunciasse? si qui-  
dem sine protestatione, poenam caducitatis remisisse  
credendum est arg. l. 23. vers. *sin autem oblatum accepit.* *Dig.*  
*de recept.* & *qui arbit. et l. pen.* *Dig. de leg. commiss.* *Clar. d. 9.*  
*quest.* 10. n. 1. *Bacch.* *ad Treutl.* d. l. *thes.* *xii.* litt. E. *Diff.*  
*Donell.* lib. 9. *comm. cap.* 15. *Bronch.* *cent.* 1. *ass.* 83. *Sich.* d.  
l. 2. n. 15. *Treutl.* d. l. *thes.* *xii.* litt. E. et plures apud *Fachin.*  
*lib.* 1. *cap.* *xcix.*

### XXI.

Sed canone ab Emphytentia intra statutum tempus  
non soluto, & domino voluntatis suæ declarationem  
differentem, quæstio est ad quem fructus interim per-  
tineant? R. ad Emphyteutam, pro quo facit l. 2. C. b. t.  
*junct.* l. et ex diverso 35. 9. 1. *Dig. de R.V. Christ.* d. *decis.*  
120. n. 5. *Fachin.* lib. 1. cap. *xciv.* *Diff. Sich.* d. l. 2. n. 24.

### XXII.

Cum autem fundus ea conditione in Emphyteusis  
detur, ut colatur & melioreetur, notandum est si Emphy-  
teuta

teuta non utatur, verum abutatur, & insigniter deteriorem reddat, Emphyteus in resolvi Nov. 120. cap. 8. et Auth. quirem. Cod. de S.S. Ecccl. Mantica de. tac. et. ambig. convent. lib. XXII. tit. 29. clar. d. §. quest. 26. n. 1. magis tamen hoc in ecclesiastica, quam civili Emphyteusi, observari putamus.

### XXIII.

Pactum tamen inter dominum, & Emphyteutam, de non expellendo Emphyteuta ob triennalem canonis cessationem, vel abusum valet, ac servandum. est arg. l. pen. Cod. de pact. l. 2. Cod. h. t. præcipue cum contractus ex convectione legem accipiant l. 1. §. si conveniat. 6. Dig. deposit. & ratæ habeantur pactiones, quæ contra tenorem legis, beneficium introducentis, contrahuntur l. pacisci. 31. Dig. de pact.

### XXIV.

Emphyteusi finita, etiamsi sine culpa Emphyteutæ contigerit, (veluti si ad tempus vel certæ generationi constituta fuerit) meliorationes ad dominum pertinent, contractus enim Emphyteuticus ob eam causam institui-  
tur, ut res melior efficiatur, quod ipsa vocabuli Etymo-  
logia aperte probat l. ult. Cod. h. t. l. 55. §. 1. l. pen. Dig. locat:  
& Auth. si quis ruinas. Cod. de S.S. Ecclef. Christ. d. decis. 120.  
n. ult. Sarmient. select. interpret. lib. 9. cap. 4. Bronch. miscell  
controv. cent. 1. aff. XLV. Diff. Fab. in. Cod. h. t. defin. 24. Clar. d.  
§. quest. 45. n. 1.

### XXV.

Si Emphyteus per mortem Emphyteutæ, ipsiusque liberorum, ad dominum resoluta fuerit, possitne in cogi proximiori agnato restituere? R. cum unusquisq; rerum suarum

suarum arbiter, ac moderator sit, *juxta l. in remanda. 21.*  
*C. mand.* probabilior mihi eorum sententia videtur, qui  
eum teneri negant. *Bronch. misc. controv. cent. I. aff. XL I.*

X X V I .

Quoniam autem ex hoc contractu mutua inter do-  
minum & Emphyteutam nascatur obligatio, quæ actio-  
nem parere dicitur in *l. 42. 5. ea obligatio. 2. Dig. de procurat*  
dubitandum non est, quin hæc quoque obligatio actio-  
nem pariat, verum quænam sit, multum inter DD. con-  
trovertitur, sunt enim aliqui, qui actionem præscriptis  
verbis dari putant, alii condicitionem ex lege compete-  
re contendunt, sed nos, horum sententiis rejectis, pro-  
priam actionem, id est Emphyteuticariam, inde oriri  
defendemus cum *Bronch. miscel. controv. cent. I. aff. XL II.*  
*Diff. Manica de tac. et. ambig. convent. lib. XXII. tit. I.*

---

I M P E R T I N E N S.

**B**ona, quæ ii (qui abusive Canonici vocan-  
tur) possident, recte, ac licite possideri pos-  
se, arbitror.

C O R O L L A R I A

Ex jure civili.

1. *P*upillus sine tutoris autoritate nequidem obligatur  
naturaliter.
2. *Minor absque curatoriis autoritate obligari potest.*

Pre-

3. Prælegata non veniunt in restitutionem hæreditatis.
4. Stipulatio est contractus.
5. Conditio sive jure, sive natura impossibilis, contra-  
etibus adjecta, reddit eos ipso jure nullos.
6. Creditor non tenetur accipere particularem solutio-  
nem.

Ex jure Canonico.

1. Rectius jus Canonicum, quam jus civile, in usuca-  
pionibus perpetuo bonam fidem requirit.
2. Rectius jus Canonicum, quam jus civile, concubi-  
natus prohibuit.
3. Rectius jus canonicum, quam jus civile, duos testes  
in testamentis sufficere statuit.
4. Rectius jure Canonicō, quam jure Civili, filius f.  
fideicomisso gravatus, duas quartas detrahit.

Ex jure Feudali.

1. An feudum sit ususfructus? Neg.
2. An agnati, etiam repudiata hæreditate, in feu-  
dum possint succedere? Aff.
3. An Vasallus absque præcedenti venia dominum in  
jus vocare possit? Aff.
4. An pater uni ex filiis feudum prælegare possit? Neg.
5. An feudo sine consensu Domini Vasallo alienato  
30. vel 40. annis præscribi possit? Neg.

F I N I S.